D. N.

12

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE EBRIETATE,

QVAM

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA

DECRETO GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ IN PERANTIQVA ET CELEBERRIMA ELECTORALI ACADEMIA HEIDELBERGENSI,

PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO DOMINO

D. WILHELMO BERNH. NEBEL,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORE, EJUSDEMQUE PROFESSORE PRIMARIO P. T. RECTORE ET FAC. MED. DECANO ET SERENISS. ELECT. PALAT. MED. AULICO MERITISSIMO ATQUE ACAD. NAT. CUR. SOC.

PRO GRADU DOCTORIS

AC SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS INSIGNIBUS ET PRIVILEGIIS SOLENNI MAJORUM MORE OBTINENDIS

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AUCTOR

HENRICUS JACOBUS BECK,

CRUCENACO PALATINUS.

HORIS LOCOQUE SOLITIS

DIE DECEMBRIS, M D CC XLVI.

Heidelbergæ, Typis Johannis Jacobi Hæner, Typograph. Aul. Academ.

VIRO
PRÆNOBILISSIMO
AC
AMPLISSIMO
JOHANNI CONRADO
HERMANNI,
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
ELECTORIS PALATINI
CONSILIARIO
LONGE DIGNISSIMO
SALINARUM CRUCENACENSIUM
DIRECTORI MERITISSIMO,
FAUTORI ATQUE PATRONO
IN
SEMPITERNUM COLENDO
QUÆCUNQUE FAUSTA APPRECATUR
AUCTOR.

VIR PRÆNOBILISSIME AC AMPLISSIME

FAUTOR AC PATRONE AD ARAS USQUE VENERANDE!

I*Ngratitudinis notam ne incurrisse videar, specimen hocce Academicum, qualecunque sit,* TIBI VIR PRÆNOBILISSIME *ex animo Sacrum dicere idque* AMPLISSIMO TUO NOMI-

NOMINI *quam obſequioſiſſime offerre, mecum conſtitui, ut publicum exhibeam teſtimonium, quanti faciam* TUA *in me collata Beneficia, quantusque ſit in* TE *grati animi mei affectus.* TUÆ *enim Beneficentiæ ſolum debeo, quod Phyſici munus in Salinis prope Crucenacum ſitis mihi benigne commiſſum fuerit. Quare ingratisſimus exiſterem ſi id perſolvere recuſarem, quod pietatis officium abs me exigit. Fateor equidem,* NOMINI TUO AMPLISSIMO *minus reſpondere leves haſce pagellas, Thema Medicum de Ebrietate diſcutientes. Aſt hoc ſaltem ſpero* TE *non muneris dignitatem, ſed gratum offerentis animum eſſe conſideraturum. Suſcipe igitur* VIR PRÆNOBILISSIME *benigna mente, quidquid in Teſſeram ſubmiſſæ devotionis heic demiſſe offero, meque impoſterum* TUO *favore atque Patrocinio complecti haud dedignare. Deus cuncta regens, quæcunque in Salinis proſpera cedere jubeat,* TE *que per pluri-*

mos

mos adhuc annos Salvum ac incolumem conservet, omnique felicitatis genere cumulatissimum reddat, quo & imposterum TUA *Benevolentia uti fruique possit.*

NOMINIS TUI AMPLISSIMI

OBSERVANTISSIMUS CULTOR

AUCTOR.



PRÆFATIO.

B. L. S.

DIſſertationem inauguralem conſcripturus diu dubius hæſi, quale thema mihi ſit eligendum, tandem morbum aliquem rarum & cujus deſcriptio Lectori placeat, ſumendum eſſe conſtitui; Innumeras autem diſſertationes Academicas evolvens inveni, vix ullum eſſe, qui non jam ad nauſeam fuerit ventilatus; Quare tandem eligere ſtatui morbum, qui quidem & Endemius & Epidemicus & Sporadicus, ſimulque frequentiſſimus eſt, attamen ratione Symptomatum ab omnibus aliis adeo differt, ut hoc titulo rariſſimus imo unicus vocari mereatur. Morbus Scilicet voluntarius, quem amicus amico honoris gratia & ad confirmandam amicitiam, procurare ſolet; Morbus, qui, ſanitatem

tatem Amici deglutiendo, comparatur; Morbus in foro civili adeo neceſſarius, ut ſine eo neque pacta contrahi, neque actus ſolennes aut Dies feſtivi celebrari ſoleant, imo qui eo gravior requiritur, quo feſtum eſt celebrius; morbus qui, quo pluribus communicatur, eo majorem Communicatori facit honorem; Morbus quem multi Studioſe quærunt, habentes lætantur, ſani deteſtantur. Morbus qui ſapientes facit ſtultos, triſtes hilares, manſuetos furioſos, timidos feroces, taciturnos loquaces, avaros prodigos, egenos divites, & divites egenos, imò qui ſurſum deorſum vertit omnia; Morbus qui, ſumma cum ægrotantis ejusque ſociorum lætitia, corpus & animam perdit; qui uno verbo vocatur Ebrietas.

Novi quidem quod & hoc thema jam ab aliis fuerit pertractatum, ſed morbi frequentiſſimi rara monſtroſitas me commovit ut & ego de illo cogitata mea, loco ſpeciminis inauguralis, proponere voluerim. Faxit Deus ut tenues labores mei, ad eradicandam hanc ſalutis humanæ peſtem, aliquid conferre valeant! Tu vero B. L. vale & conatibus meis fave.

§. I.



§. I.

EBrietas consistit in objectorum externorum falsis repræsentationibus in ebriorum cerebro formatis, nec non motuum voluntariorum perturbatione, à nimia & incauta potuum spirituosorum assumtione contracta.

§. II.

Differunt itaque ebrietas & temulentia, ut genus & species, hæc enim cum à prisca voce Temetum, quod vinum est, derivetur, vi nominis eam tantum ebrietatem designat, quæ contracta est à nimia vini adsumtione; illa verò quid sub se comprehendit (§. I.) dictum est. Crapula verò propriè non tam ebrietatem, quam ejus effectum, sive dolorem capitis, ab ebrietate ortum denotat.

§. III.

Intelligimus verò per potum Spirituosum secundum Illustr. FRIDER. HOFFMANNUM præcipuè Spiritus inflammabiles fermentatione paratos, aquas sic dictas ardentes & vina, ut & omnes liquores ac cerevisias quæ vim inebriandi habent.

§. IV.

Hoſce potus Spirituoſos diſtinguimus I.) in magis ſulphureos & acres & II.) in minus ſulphureos & acres. Ad primam claſſem pertinent Spiritus inflammabiles fermentatione parati, & aquæ ſic dictæ ardentes. Ad alteram verò claſſem pertinent, vina, liquores & cereviſiæ, quæ vim inebriativam habent.

§. V.

Experientia edocti ſcimus ebrietatem oriri.

I. Ab omni genere Spirituum ardentium & inflammabilium poſt fermentationem iterata deſtillatione paratorum. Quo etiam referendi ſunt aquæ vitæ vulgo dictæ, quæ præparantur per abſtractionem horum Spirituum à Speciebus aromaticis grati Saporis & odoris.

II. Ab omnibus cereviſiis jam dum fermentatis.

III. Denique à vinis omnis generis. Cujus vini etiam ſpecies eſt Hydromel, quod præparatur ſecundum Bœrhavium Celeberrimum ſequenti modo. Accipio, inquit in Elementis Chemiæ Tom. II. p. m. 193. mel, iddiluo in aqua pluvia, ea proportione, ut ovum recens ei immiſſum hæreat in ejus ſupremo neque demergatur ad fundum, vocatur Mulſa. Hac impleo dolium erectum ſtans, ſive fundo clauſo inſiſtens, ita ut foramen per quod depromimus, relinquam apertum. Pono dolium ſic plenum in ciſta lignea tepida, ut perpetuo caleat per ſeptuaginta gradus: incipit mulſa breviter fermentare cum omnibus Symptomatibus fermentationis. Relinquitur ita donec penitus deferbuit. Erit tunc liquor Saporis Spirituoſi,

rituosi, dulcis. Qui clauso vase servatur. Est Hydromel.

§. VI.

Vinum tale voco fluidum quod per fermentationem e succis vegetabilium, imprimis fructuum succulentorum ortum est.

§. VII.

Ex observationibus notum est, quod mustei quicunque liquores quibus etiam cerevisiam recenter coctam addere volo, ante fermentationem ebrietatem nullam producere possint, sed alias plane qualitates possideant. Quare secundum Boerhavium in Element. Chem. T. II. p. 182. fermentatio convertit succos vegetabiles ex facultate sua laxante, resolvente, Saponacea, refrigerante & purgante plerumque per alvum in potentiam corroborantem, cogentem humores, exsiccantem, calefacientem.

§. VIII.

Porrò constat quod ea fluida quæ non per fermentationem parata sunt, virtutem ebrietatem producendi non possideant.

§. IX.

Rectè ergò concludimus, vim ebrietatem producendi ex fermentatione oriri.

§. X.

Ex experimentis Chemicis manifestum est; quod omnia vina & cerevisiæ omnis generis si destillatione per adscensum examinentur, porrigant Spiritum per omnia analogum Spiritui vini etiam rectificatissimo. Conf. NEU-

 MANN

MANN in prælectionibus chemicis in cap. de cerevisia in cap. de vino & in cap. de Spiritu vini. Item Celebr. Boerhave in Element. Chem. T. II. cap. de fermentatione.

§. XI.

Istis Spiritibus vinorum, cerevisiarum & Spirituum ardentium vim validissimam ebrietatem producendi inesse quotidiana, proh. dolor! docet experientia.

§. XII.

Quo magis hi Spiritus per destillationem ab omni adhærente superfluo Phlegmatè liberantur, eò majorem vim inebriandi possident. Id verò quod in vase post destillationem remanet, ebrietatem non magis producere potest.

§. XIII.

Ex his sequitur.

I.) Quod hicce Spiritus ex fermentatione ortus, unica causa mediata remotior ebrietatis sit.

II.) Quod, quo majorem copiam isti potus Spirituosi, hujus Spiritus continent, eo fortiorem vim ebrietatem producendi habeant.

III.) Quod, quo minor copia Spiritus hujus in potu existit, eo minor etiam istius potûs facultas inebriandi sit.

§. XIV.

Ex his nunc manifestum erit causa, cur cerevisiæ minorem vim inebriandi habeant quam vina & cur vinis minor sit facultas ebrietatem producendi Spiritibus inflammabilibus.

§. XV.

§. XV.

Qui ſcire cupit quantitatem Spiritus iſtius inflammabilis in menſura cereviſiæ ac vini contenti, is legat NEUMANNUM Experientiſſimum in Prælectionibus ſuis chemicis pag. 763. & pag. 109.

§. XVI.

Cum in antecedentibus cauſam ebrietatis ſatis ſuperque manifeſtum reddidimus, nunc etiam neceſsè erit modum ejus operandi ſimiliter ut evidenter demonſtremus. Priusquam verò hoccè agamus, neceſſitas requirit, ut quædam Phyſiologica præmittamus, quæ ad explicationem modi agendi potuum Spirituoſorum neceſſaria ſunt.

§. XVII.

Si Homini aut Animali cuidam nervus diſcinditur ſive ſubligatur, tunc ambo illud membrum in quod nervus tendebat non magis movere poterunt. Requiritur ergò admotum cujusdam membri nervus. Nervi verò in nos agunt ratione ſuorum Spirituum. Conſequenter nullus motus membrorum ſine motu Spirituum posſibilis eſt.

§. XVIII.

Porrò ſi animali cuidam arteria ad partem certam tendens ligatur, nervus verò neque diſcinditur neque ſubligatur, tunc illud membrum animalis, in quod arteria tendebat, ad motum ineptum erit. Conſequenter etiam ſanguinis influxus neceſſariò ad motum partium noſtri Corporis requiritur.

§. XIX.

Tandem ſi tendo cujusdam muſculi diſcinditur, arteriæ verò & nervi illæſi manent, tunc hicce homo quidem

dem

dem membrum ſuum adhuc aliquo modo movere poterit, ſed eum præcisè motum producere non valebit, cui producendo muſculus ille deſtinatus eſt. Conſequenter & ſine muſculis motum quendam producere impoſſibile erit.

§. XX.

Conſequenter ad motum partium noſtri corporis neceſſariò hæc tria requiruntur.

I.) Influxus decens Spirituum (§.17.)
II.) Influxus decens Sanguinis. (§. 18.)
III.) Et muſculi decenter conſtituti. (§. 19.)

§. XXI.

Si itaque turbantur vel planè ceſſant motus voluntarii, tunc in priori caſu aut motum Spirituum aut influxum ſanguinis aut conſtitutionem muſculi, aut hæc tria ſimul aut duo de his vitiata eſſe neceſſe erit. (§.20.) In poſteriori caſu verò, ut vel ceſſet influxus ſanguinis, aut motus Spirituum, vel ut muſculus ad motum ineptus ſit redditus, aut ut hæc tria requiſita eſſentialia ad motum ſimul aut duo de his deſint, opus erit. In Ebrio verò ſupponimus integritatem muſculorum ſuorum. Conſequenter cauſa motus turbati vel aboliti, conſtitutio partium ſolidarum, nempe muſculorum, vitiata eſſe non poterit. Sed cauſa iſtius aut motui Spirituum, aut influxui ſanguinis vel turbato vel abolito ſemper ineſſe debet.

§. XXII.

Ex Phyſiologicis & hoc unicuique notum erit, quod ad repræſentationes veras in ſtatu naturali pertineant objecta externa, quæ in Organa ſenſoria agere & actione ſua talem motum Spirituum in organis ſenſoriis produ-

cere

cere debent, qui ad animæ ſedem usque continuatus, in ea veram objecti repræſentationem producit.

§. XXIII.

Dum nunc in ſtatu ebrietatis etiam adſunt objecta externa, & organa ſenſoria decenter conſtituta. (quod ſupponitur) & ab objectis externis etiam in Organa ſenſoria agitur, & tamen in iſto ſtatu nobis nullæ repræſentationes veræ ſed falſæ fiunt, ſequitur motum Spirituum adeò turbatum eſſe, ut loco veræ objectorum repræſentationis, falſas in anima noſtra ideas producere debeant.

§. XXIV.

Conſequenter repræſentationum falſarum cauſa eſt motus Spirituum in organis ſenſoriis adeò turbatus, ut etiam objecta externa per eorum actionem in Organa ſenſoria, falſas ideas in Anima noſtra producere debeant.

§. XXV.

Ut igitur ad ſcopum meum quem intendo, nempe ut modum agendi potuum Spirituoſorum monſtrem, propius accedam, nunc meum erit ut oſtendam quomodo hicce Spiritus, qui ex potulentis Spirituoſis obtinetur (§.10.) tanquam cauſa efficiens ebrietatis (§. 13.) producere poſſit.

I.) Repræſentationes falſas ab objectis &

II.) Turbationem vel ceſſationem motuum voluntariorum.

§. XXVI.

Ad hocce vero efficiendum mihi incumbit ut demonſtrem, quomodo hicce Spiritus

α.) Motum Spirituum vitiatum (§.24. & §.21.) &

β.) In-

β.) Influxum ſanguinis vel turbatum vel abolitum reddit. (§. 21.)

Et ſi hoc egero tunc unicuique ſatis ſuperque manifeſtum erit, quod modum agendi luculenter demonſtraverim. Nam ebrietas conſiſtit in repræſentationibus falſis & in motuum voluntariorum turbatione vel planè ceſſatione à nimia aſſumtione potuum Spirituoſorum orta (§. 1.) Repræſentationes verò falſæ & motuum voluntariorum turbatio vel ceſſatio, oriuntur à motu Spirituum vitiato (§. 24.) & influxu ſanguinis turbato vel abolito (§. 21.)

§. XXVII.

Quod potulenta ſpirituoſa Maſſam ſanguineam reſolvant & expandant ex ſequentibus videri poteſt. Quia

I.) Experientia quotidiana docet, quod omnem aſſumtionem nimiam vinorum, cereviſiarum & Spirituum ardentium ſive inflammabilium ſequatur in corpore noſtro calor major.

II.) Hæc potulenta majorem vel minorem calorem producunt, prout Spiritu inflammabili plus minusque ſaturati ſunt.

III.) Secundum BAGLIVIUM opp. p. 464. recenter e vena emiſſo ſanguini vitulino adfuſus Spiritus vini in actu mixtionis quandam veluti undulationem cum leni fermentatione efficit, cum nulla tunc temporis coagulatione.

IV.) Jgni admota hæc mixtura ſanguinis & Spiritus vini ſubitò & mirè expanditur, facile incaleſcit & citius ebullit.

V.) Venæ in toto corporis externo habitu conſpicuæ, tempore ebrietatis maximè ſunt expanſæ.

VI. Pul-

VI.) Pulſus celer & frequens eſt in iis, qui nimiam quantitatem potûs Spirituoſi aſſumſerunt.

VII.) ii, qui morbo cum calore majore conjuncto laborant, ſi e. g. vinum aſſumant, tunc calor maximè augetur, e. g. in febribus continuis, Doloribus Capitis vehementioribus &c. Conf. HIPPOCRATES Libr. de Diæta in acutis §. 30. ubi inquit: in ejusmodi morbis ubi vehementem Capitis gravitatem aut mentis læſionem metueris vino omnino abſtinendum & tunc aquâ utendum eſt.

§. XXVIII.

Etiam ex his demonſtrari poteſt quod Spirituoſa potulenta Maſſam ſanguineam reſolvere & expandere debeant: Quia hæc potulenta gaudent particulis ſubtiliſſimis, volatilibus ſummeque agilibus, & quibus ea eſt natura, ut irritatione ſua Cordis Syſtolen, & arteriarum pulſüm ceterorumque vaſorum motum tonicum juſto nimis accelerent, per hocce vero efficiant, ut motus progreſſivus ſanguinis celerior evadat, ab hoc vero dependet motus inteſtinus. Ergò ut & hic augeri debeat neceſſe erit, hic autem reſolutionem ſanguinis præſtat. Ergo & hæc inde augmentum neceſſariò capit.

§. XXIX.

Si Potulenta Spirituoſa nimia quantitate aſſumta ad Maſſam ſanguineam perveniunt & cum hac ſeſe uniunt, tunc eam majori gradu reſolvunt (§. 26. & 27.) In maſſa ſanguinea verò aër contentus eſt, qui in interſtitiis illius locum occupat, & qui aër, quamdiu ſanguis eum, quo in ſtatu naturali, gaudet, denſitatis gradum habet, in anguſtis ejus poris compreſſus eſt, quam primum verò

potu-

potulenta Spirituosa sanguinem resolvunt & expandunt, propterea que interstitia ejus aërem continentia dilatantur, mox aër sua vi elastica se expandit, majusque spatium occupat: Quum verò aër in vasis clausis contentus sit, hæcce occupatio majoris spatii fieri non potest sine expansione parietum horum vasorum. Consequenter ut parietes horum vasorum expandantur, necessitas requirit.

Cum autem corpus nostrum ex meris vasculis constat: sequitur ut propter hanc expansionem majorum vasorum, alia vasa minora proximè adjacentia comprimi debeant, consequenter etiam tam vasa sanguifera quam nervosa. Per hanc compressionem verò motum sanguinis & Spirituum valdè turbari nemo dubitabit.

§. XXX.

Ex his itaque videri potest, quod per potulenta Spirituosa, si nimia quantitate assumantur, tam influxus & motus sanguinis quam Spirituum maximè mutetur, atque inordinatus reddatur. Imo si Massa sanguinea summe expansa sit, quod tunc etiam vasa minima in Cerebro contenta atque tenerrima comprimantur. Per hanc compressionem vero secretio Spirituum vel imminuitur, vel, dum à pulsu arteriarum, sanguine orgasticè commoto turgescentium, celeriori & vehementiori vicina vasa sanguifera & nervosa validissimis & frequentissimis ictibus percutiuntur necessario debent spiritus animales æque ac sanguis in suo motu valdè turbari. Cum nunc ad repræsentationes veras decens motus Spirituum (§. 22.) & ad motus voluntarios decens influxus sanguinis & Spirituum (§. 20.) requiritur, motus Spirituum vero & influxus sanguinis nunc turbatur, sequitur quod etiam repræsentationes

tiones objectorum falsæ oriantur & motus voluntarii vel, turbentur, vel plane deficiant, nempe quo plus minusque Massa sanguinea à tali potulento Spirituoso expansa & commota est.

§. XXXI.

Cum modum agendi horum potuum Spirituosorum, nempe quomodo ebrietatem producant, satis superque manifestum reddidimus. Nunc etiam alia gravia mala quæ inde in Corpus redundant recensere volumus.

§. XXXII.

Principia Pathologica docent, quod omnis potus nocere possit.
I.) Qualitate.
II.) Quantitate.

Idem igitur etiam circa potulenta magis minusve Spirituosa observetur; Quamvis enim liquores valdè spirituosi, uti est Spiritus vini corpori sano sua qualitate non facilè noceant, nisi quantitas illorum excedat, non negandum tamen est, quod debilem ventriculum magis debilitent; Nam experientia teste Spiritus vini lacti affusus hoc præcipitat sive coagulare facit, idem igitur præstabit ratione chymi in ventriculo, unde nascuntur cruditates, quæ difficulter à debili ventriculo subiguntur, imo potius eundem paulatim debiliorem reddunt.

§. XXXIII.

Potissimum autem nocent & plerumque irreparabile damnum inferunt qualescunque liquores spirituosi in nimia quantitate assumti; Speciatim valdè spirituosi copiosè hausti,

I.) Cruditates primarum viarum generant (vide §. 32.) hinc.

II.) Digeſtionem ciborum & laudabilem chylificationem turbant.

III.) Tam ſuis acribus particulis quam cruditatum jam antea generatarum aceſcentia, ſaburram quaſi cauſticam in primis viis producunt, quâ.

IV.) Lympha gaſtrica corrumpitur & appetitus dejicitur, unde.

V.) Primarum viarum atonia, flatulentiæ, ructus nauſea, vomitus, alvi obſtructiones, vel diarrhææ, Cardialgia, Colica, aliique innumeri primarum viarum morbi pullulant.

§. XXXIV.

Neque in ſolis primis viis ſubſiſtunt pernicioſi ſpirituoſorum effectus, ſed & ad ſanguinem, totumque corpus ſe diffundunt; Qualis enim eſt chylus, talis inde generatur ſanguis; illo igitur exiſtente acri, crudo, corrupto non pôſſunt non ſanguis & humores ſimili labe inquinari, unde dein viſcerum obſtructiones, febres lentæ, hecticæ, cachexiæ, icterus, hydrops &c. oriuntur, non minus è corrupto ſanguine ſuccus nutritius ineptus, & ſpiritus animales inertes ſeparantur, hinc partium ſolidarum omnium atonia, debilitas, atrophia ſequuntur; quæ omnia præmaturam mortem poſt ſe trahunt. Porrò liquorum Spirituoſorum particulæ ſubtiles, valdè agiles, calidæ & acres ipſæ ad ſanguinem delatæ, hunc.

I.) Vehementer exagitant, ſicque calorem præter naturalem efficiunt & ſæpè diverſi generis febribus anſam dant. Quo ipſo calore Spiritus vini copioſè hauſtus interdum in ventriculo accenditur, ut flamma, deteſta-

deteſtabili ſpectaculo, per os erumpens ventriculum & fauces adurat.

II.) Sanguinem in minima vaſcula impellunt, ejusque ſtaſin in iis, conſequenter inflammationes & hæmorrhagias varias periculoſas, Hæmoptyſin, phthyſin &c. producunt.

III. Vaſa imprimis cerebri expandendo, infarciendo, vel planè rumpendo, cephalalgiam, ingenii ſtuporem, oblivionem, affectus ſoporoſos apoplexiam, hemiplexiam inferunt.

IV.) Quod in humoribus eſt reſolubile, reſolvunt & per ſudorem aliasque ſe- & excretiones diſſipant, relictis partibus ſpiſſis & irreſolubilibus, quibus viſcerum obſtructiones aliaque mala ſupra jam recenſita accelerantur.

V.) Partes liquorum ſpirituoſorum acres non ſolum humores omnes ſua acrimonia inquinant, variasque dyſcraſias ipſis inducunt, ſed & gelatinoſas & nutritias eorum particulas coagulant, atque ſic iterum affectibus arthriticis calculo, & innumeris aliis morbis viam ſternunt.

§. XXXV.

Non ſolum autem valdè ſpirituoſi liquores ſc. Spiritus vini, aquæ vitæ &c. effectus modo enarratos in corpore humano exerunt; ſed & potulenta minus Spirituoſa, uti ſunt diverſi generis vina & cereviſiæ; Quorum quamvis minor ſit malitia, ob parciorem Spirituum contentorum copiam, latet tamen anguis in herba, & ingeſtorum copia minorem malitiæ gradum facile & largiter compenſare ſolet. Imprimis vero triplici modo nocent:

 I.) Suis

I.) Suis Spiritibus.
II.) Largâ humorum ingurgitatione.
III. Peregrinis & diverſis aliis commixtis particulis.

1.) Quidem in vino & cereviſia parcior eſt Spirituum quantitas, quam in Spiritu vini vel aquis vitæ dictis, ſi tamen illa potulenta, eo largius bibuntur, quo minus ſunt Spirituoſa, uti plerumque fieri ſolet, eadem, imo ſæpe major Spirituum copia corpori ingeritur, quam cum Spiritu vini parcius hauſto, unde non poſſunt non omnia ea mala, quæ ſupra (§. 33. & 34.) de potatione liquorum magis Spirituoſorum recenſuimus, provenire; quæ igitur hìc repetere ſuperfluum eſſe judico.

2.) Sub larga horum potulentorum ingurgitatione, parcorum Spirituum vehiculum, ſive humorum aqueorum copia ſimul ingeritur, qua totum corpus quaſi inundatur, ventriculus diſtenditur, relaxatur & debilitatur, lympha gaſtrica diluitur & iners redditur, appetitus labefactatur, chymificatio læditur, cruditates generantur aceſcentes flatulentæ, quæ nauſeam, ructus, vomitus producunt, neque minus chylificatio debita impeditur, impurus chylus cum multis humoribus aqueis ad ſanguinem defertur, ejusque temperies, ſicque totius corporis ſanitas evertitur.

3.) Nemo neſcit quod diverſi generis vina, pro diverſitate terræ & climatis ſub quo creſcunt, diverſi quoque generis particulas ſalinas, terreas, ſulphureas, aliasque innumeras contineant, quæ ſanguini & humoribns largiter ingeſtæ varias ſanitatis alterationes neceſſariò producunt, ne dicam de ſulphuris vapore, quo vina ſæpè imbuuntur, capiti totique corpori

pori

pori noxio, ne pariter dicam de aliis malis artibus quibus vina austera vel acida quidem grata, sed sanitati perniciosa redduntur. Eadem autem omnia valent de diversis cerevisiarum speciebus, quæ pro diversitate ingredientium, cocturæ, variarumque artium, quibus quidem gratæ sed inebriantes & sanitati infensæ redduntur, diversos etiam atque innumeros & perniciosos in corpore humano effectus edunt, unde non ineptum proverbium, de potatoribus ortum est, **daß sie Lunge und Leber versauffen.** Legi hac de re merentur quærelæ ipsius ventriculi quas lepidè recenset SCHWALVE in tract. querel. & opprobr. ventriculi. p. m. 179 his verbis: Jam quæ mea mala à tali vini impluvio perpendatur velim: cum madent latera, hebescit vigor, cum torqueor misere: cum redux vini fons & odor ex me turpissimus est: cum sordida funera titubantes faciunt gressus: cum ronchi, stertores, immobilitas, privatio sensuum: cum eructo fœtores: cum turbant me venti, murmurant in cavo meo Sibili: cum polyphemus manè experrectis in cerebro cum suis Cyclopibus malleat: cum tremisco, horreo, æstuantemque per superiora rejicio hostem: cum fluctuans me cruciat dolor & continuans subversio: cum simul inest cerebro rotans vertigo; rubedo oculis, cordi palpitatio, nervis tremor: cum inquies nocturna furiales somni mentisque excessus, & tandem pedum œdema, vel abdominis tuberosa moles. O suavium breve quo longi emuntur cruciatus! Horrenda mea in hoc casu constitutio me coegit hæc dicta aliis sæpius redicere. Nihil tamen magis aliis effecero, adeo pene in naturam abiit hoc quibusdam malum.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Porro per ebrietatem crebro repetitam ſemen corrumpi teſtatur Galenus de uſu partium, dum dicit: Genitale ſemen, nihil adeò ut crapula & ebrietas infrigidat, quibus ſe mares, plusquam fœminæ onerant. Et Macrobius Libr. ſeptim. teſtatur temulentiam mariti non modo ſemen infœcundum efficere, ſed liberos quoque malè morigeros parturire. Riedlinus Lin. Med. A. 1698. M. Jul. obſervavit, quod ex crebra ebrietate ſterilitas orta ſit. Quidam Medicorum etiam ob eam cauſam coitum iſtum, qui tempore ebrietatis celebratur diſſuadent, quia uti dicunt (experientia teſte) ex eo liberi orirentur ſtupidi.

§. XXXVII.

Nunc etiam haſce experientias, (32.-37. contentas) auctoritatibus adhuc quibusdam præſtantiſſimorum Medicorum confirmare volumus, & quidem primo FRID. HOFFMANNUM in Med. rational. Syſtemat. T. II. p. 386. audire volumus. Spirituoſi liquores nimia quantitate hauſti, inquit, ventriculo & annexis inteſtinis eorúmque functionibus, valdè inimici ſunt & quidem plurimis ex cauſis. Primo enim minimas illas in tunicis inſidentes glandulas, ex quibus fermentalis & ſolvens liquor ſtillat, quæ innumeræ ſunt, Spirituoſa rigidas efficiunt atque indurant, ut Lympham illam ſtomachicam, ad appetentiam & digeſtionem ciborum valdè utilem, amplius plorare nequeant. Deinde adpetitus & ciborum digeſtio ſecundum naturam, quæ à liquamine illo acidulo fermentativo, à coctione in plicis ventriculi relicto fit, plane deſtruitur, quoniam Spirituoſa vim Lymphæ gaſtricæ valdè enervant. Notum enim eſt ſummè corroſivos liquores adſo-

adſociatione valde rectificati Spiritus penitus edulcorari poſſe, & omni fermentationi Spirituoſa admodum reſiſtere. Tum etiam digeſtionis in primis viis negotium maximè à temperato calore ſanguinis, æquè ac à temperata ſuccorum Lymphaticorum ſalivalium & ſolventium naturâ & craſi fovetur, utriusque vero temperiem Spirituoſa planè deſtruere apud omnes in confeſſo eſt. Secundo etiam videre volumus effata IMMORT. BOERHAVII in Element. Chem. Tom. II. p. 182. ubi dicit: Dum excitat, nempe ebrietatem, reficit, animat, exhilarat, jocis, luſibus facundiæ, carminibus, ſaltibus aptat; poſtea proprios cuique latentes affectus incendit, promit, abſcondita revelat; denique ſenſus externos, internosque, ut & voluntarios motus turbat, debilitat, tollit, ut nec pes neque manus neque lingua nec mens officium faciat. Tum ſoporem, Paralyſin, apoplexiam, mortem denique facit, Hæchſtædterus Dec. X. cap. VI. ſcribit: Quidam de aqua vitæ Mathioli copioſius bibit & is Paralyticus factus eſt; alter ſimili vitio laborans apoplecticus; tertius qui cacochymicus fuit ac Podagricus totius corporis pruritum ſentiebat ac laſſitudinem, cui Icterus, Diſpnoea ac tandem mors ſupervenit. Denique Platerus à Spiritu vini immoderatè ſumto homines attonitos obſervavit & ſtupidos ac ſi opium bibiſſent. Et puer apud Wepferum in Tract. de cicuta aquatica, profundo ſomno obrutus ſemi mortuus cum extremorum frigore redditus eſt. De his vid. FRID. HOFFMANN. Med. Rat, Syſtemat. T. II. p. 388. &c.

§. XXXVIII:

Obiici nobis hic poſſet: Si ebrietas ſæpius repetita cauſa omnium horum modo dictorum morborum eſt

ſequitur, quod omnes, qui ſeſe ſæpius inebriant, hoſce morbos pati debeant, hocce vero non obſervatur, nam experientia teſte dantur tales homines, qui in ſeram usque ſenectutem à dictis morbis immunes degunt. Quibus autem 1.) reſpondemus, conſueta formula, aſſumta non ſecundum activitatem, ſed per motum receptivitatis ſuæ operari. Nam ſi quidam haberet fibras laxiores & craſſiores, quæ ſero glutinoſo valdè munitæ ſunt, alter vero teneriores fibras, magis ſenſibiles, tunc illius fibræ minus afficientur tardiusque quam hujus à particulis Spirituoſis ſubtilioribus. Illius pœna etiam mitior tardiorque eſt, cujus ſanguis eſt ſeroſus, multaque pituita refertus, quam quibus jamdum magna Copia ſulphuris & ſalis eſt. Ex his itaque intelligi poteſt cur quibusdam unica inebriatio mortem producit; alios vero repetita ebrietas parum ſeroque lædit, & cur his acuta illis chronica exinde superveniant mala. 2.) Reſpondemus, quod numerus eorum heluonum, qui in ſeram usque ſenectutem crapulis impunè vacant adeò parvus ſit, ſicut numerus eorum, qui venena acutiſſima absque ullo incommodo aſſumſerunt, ex gr. Spiritum nitri acidum, miles quidam Moſcovienſis, multis cum deliciis hauſit; Aquam fortem & Araneos grandiores, quas araneas puer quidam qui Stockholmiæ apud aurifabrum artis diſcendæ ergò fuit, magna voluptate commedit ac deglutivit, ac deinceps aquam fortem maximè corroſivam, potûs inſtar ordinarii hauſit; atque in deliciis habuit vid. STENZELII Diſſert. de venenis terminatis.

§. XXXIX.

Etiamſi luce meridiana clarius ſit ebrietatem infenſiſſimum animæ & Corporis hoſtem eſſe, non defuere

tamen,

tamen, tam inter eos, qui nomen prudentum Medicorum adfectarunt quam inter alios, qui ebrietatem quandoque proficuam esse eamque perficiendæ horum illorumve morborum medelæ servire, affirmarunt. En Consilium quod Avicenna fen. 4. primi capitis & Rasis ad ALMANS. Lib. 5. cap. 74. dederunt: ebrietatem in mense semel aut bis contractam valdè utilem esse asserunt. Siquidem cum Galeno lib. 4. de utilitat. part. inter salubria conservandæ sanitatis præcepta, quovis mense semel aut bis vomere constituerunt; stomachum verò haud commodius quam repletum humorum Corporis saburram exonerare posse. Idem quoque approbat JOHANNES LANGIUS, Lib. 1. Epist. 30. à p. 138. ad 140. DIOSCORIDES Lib. 5. Cap. XI. mediocrem ebrietatem aliquot diebus, maximè post aquæ potus, utilem judicat. MNESITHEUS Medicus Atheniensis in Epist. de Cothonismo ebrietatem sequenti modo commendat. Accidit autem, inquit, ut illorum qui se plurimo mero ingurgitant, corpus & anima graviter offendatur. Verum quodam dierum intervallo inebriari videtur mihi corpus expurgare & animam recreare. Coacervantur enim in nobis ex quotidiana potatione quædam humorum acredines, quorum opportunissimus est per urinam exitus & purgatio per compotationem maximè competit; abluitur enim vino corpus, quod est calidum & humidum, & urina, quæ de nobis colatur, acuta est, nam & fullones ea vestimenta abluunt. Tria verò tibi compotanti erunt cavenda: ne malum vinum pendulumve bibas, neque merum non mixtum, neque te in compotatione bellariis secundæ mensæ repleas, ac cum satis te vino impleveris, ne dormias priusquam evomueris: post vomitum verò parum lotus quiesce. Quod si te non sufficienter evacuare poteris, tum plurimo calidæ aquæ

 utaris

utaris lavacro. In Catalogo auctorum, qui ad curam morborum ebrietatem laudant SENECAM quoque & LIPSIUM invenio, quorum ille liberaliorem potionem morbis quibusdam mederi perhibet, vid. oper. ed. cit. Lib. de tranquillitate animi Cap. 15. p. 168. hic verò in ſpecie affectibus Melancholicis aut frigidis ſuccurrere, ad propriam provocans experientiam, affirmat vid. Comment. in Lib. Senecæ de tranquillitate animi ad. Cap. & p. cit. not. 332. Solonem & Catonem Largiori poculorum uſui indulſiſſe refert Seneca. Tandem Pechlinum, in obſervat. Phyſico Medicis quæ Hamburgi in 4to. 1691. editæ l. 3. obſervat. 5. p. 401. audiamus: ebrietate verò ait, domeſtico nonnullorum vitio, tantum abeſt, ut obſtupeſcant, ut contra ad ſubtiles ſeriosque Cogitationum luſus etiam magis erigantur, & τό ὕψος, niſi à vino inundatis, non conſtet; nam uti habet Poeta, laudibus arguitur vini, vinoſus Homerus, Ennius ipſe Pater nunquam niſi potus ad arma proſiliit dicenda &c.

§. XL.

Sedetiam ex antiquis medicis non defuere, qui ſepoſito omnis auctoritatis præjudicio hocce diſertis verbis improbarunt, è quorum numero in primis adducimus VALESCUM de TARANTA ita hac de redicentem: Ego vero cum Gordonio Cap. XII. Lib. I. de conſervat. vit. hum. melius duco præſervari quam curari, propter infamiam & pericula ex ebrietate procedentia: licet enim evacuatione per vomitum & ſudorem ab ebrietate juvamentum aliquod corpori accidat, poſſunt tamen aliis tutioribus rationibus neceſſariæ evacuationes inſtitui. Porrò AUGUSTINUM THONERUM qui annum 82. ſine ul-

lo

lo ſanitatis detrimento attigit, audiamus: Etſi non raro, inquit, grandiora pocula pro aliorum votiva Salute in orbem irent, ubi ad me ventum tantum exhauſi quantum ſtomachus ferebat, reſiduum effudi in aliud vitrum vacuum, cæteris Combibonibus plenariam ſatisfactionem haud magnopere urgentibus, & impoſſibilitatem prætendenti, fidem accomodantibus. Seneca antecedentium planè immemor oper. ed. cit. Epiſt. 83. p. 548. ebrios ad Claſſem inſanorum refert, extendè dicens, in plures dies illum ebrii habitum, quis de furore dubitabit, nunc minor non eſt ſed brevior. JOSEPHUS HALL ebrium brutum morale apellabat vid. medit. ej. ſubit. 130. ed. Londin. p. 178. & 179. Tandem etiam audiamus Jaſonem à pratis in tract. de Uteris, Amſtelodami in 12mo. 1657. ed. Lib. 2. Cap. 3. p. 196. Hoc unum aſſeverare audeo, inquit, nullum ex omni morborum agmine tam terribilia ſymptomata inducere, quibus non majora importet ebrietas, nimirum cum intra viſcera merum efferveſcit, nullum membrum ſuo officio probè defungitur, caput repletur, cerebrum vertigine rotatur, oculorum auriumque tormenta, inexplanatum linguæ murmur, teter oris Spiritus, ventriculi ſubverſio, cordis palpitatio, membrorum ſine ſenſu jacentium torpor, nervorum tremor, inquies nocturna, furiales ſomni, mentis exceſſus.

§. XLI.

Ut denique etiam noſtrum de hac re judicium feramus, aſſerimus hocce falſum eſſe, quod ſanis in menſe bis vomere neceſſarium ſit, nam, experientia teſte, maxima pars hominum ab omni morbo immunis degit, etiamſi

hancce actionem non instituat, dum nempe menstruum ventriculi, nisi per nimiam assumtionem ciborum & potulentorum corrumpatur, jamdum talem qualitatem possideat viscida & pituitosa decenter resolvendi & in intestina propellendi. Et si etiam indicationes ad vomitum instituendum adessent, tunc etiam tutiora medicamenta ad vomitum ciendum non deesse, omnibus Medicis notum erit. Per talia media ergo, nempe potulenta ad vomitum usque adsumta, impuritates è ventriculo evacuare velle, res impia & absurdissima esset: Cum per hoc corpori & animæ tot gravissima mala inferantur, ut remedium morbo longè periculosius esse rectè judicetur.

§. XLII.

Quod curam Ebrietatis attinet, hæc pro diverso ejus gradu est instituenda: Si major adest gradus, adeò ut aphonia, affectus soporosus, stertor, apoplexiam & vitæ periculum minentur,

1.) Statim venæ sectio larga in pede instituatur, ad sanguinem à capite revellendum.

2.) Potulenta aquosa, tepida, theæformia satis copiosè infundantur, tam ad humores diluendos & sudorem provocandum, quo vaporosum vini sulphur quantocyus exhaletur, quam ad vomitum excitandum, quo vinum è ventriculo ejiciatur, antequam ulterius ad sanguinem perveniat; in quem finem etiam oleum cum aqua tepida misceri, vel pluma oleo illita fauces iritari possunt.

3.) Clyster emolliens & parum stimulans injiciatur, ut per alvum etiam colluvies vinosa é primis viis extermine-

minetur, ſimulque ſpasmi primarum viarum ſanguinem ad caput pellentes, demulceantur, tandem.

4.) Abſorbentia & nitrata paulò largius exhibeantur, ut orgaſmus à vino inductus ſupprimatur.

5.) Si poſt copioſè aſſumtum Spiritum vini flamma è faucibus erumpit, hæc infuſo multo lacte vel cremore hotdei, avenæ, vel aliis ſimilibus mucilaginoſis, extinguatur, poſtea verò faucium & æſophagi aduſtio mucilagine ſeminum cydoniorum cum aqua plantag. parata demulceatur.

6.) Si verò mitior ſit ebrietatis gradus, ſufficit ægrum in lectum reponere, frigus evitare, infuſa theæformia calida, cum abſorbentibus & nitro propinare, digito faucibus intruſo vomitum provocare, ut ſic tam ventriculus à vini reliquiis liberetur, quam ejus vapores ſpirituoſi jam ad ſanguinem delati iterum per tranſpirationem auctam eliminentur.

7.) Poſtquam autem ad ſe rediit ebrius, ad crapulæ reliquias tollendas, denuò diluentia, calida, aquoſa, theæformia cum abſorbentibus, nitratis & cinnabarinis ſunt exhibenda, ut ſic non ſolum Spirituum vaporoſorum reliquiæ per diaphoreſin auctam expellantur, ſed & orgaſmus ſanguinis plenariè tollatur, atque nervi vehementer irritati demulceantur.

8.) Quod ſi dein primarum viarum debilitasupereſt, hæc elixit. ſtomach. temperat. Vienn. aliisve ſtomachicis minus calidis, amaris eſt curanda.

§. LXIII.

§. XLIII.

Cæterum ab Auctoribus varia commendantur remedia ad ebrietatem etiam inter pocula arcendam, quorum operandi ratio in eo consistere videtur, quod vel

1.) Corpus ita disponant, ut vinum copiosè ingestum, mox iterum per alvum aut urinam reddat, vel

2.) Primas vias ipsaque vasa lactea olea ita obducant, ut vinum per hoc transire & ad sanguinem pervenire non facile possit, vel

3.) Acido suo principio orgasmum sanguini inductum mox iterum temperent, vel

4.) Spiritus vini vaporosos sanguini jam affusos mox iterum diluant eorumque vim infringant, vel

5.) Occulta & specifica quadam vi hoc præstent.

Ad primam classem pertinent Pillulæ Glassiii alvum blandè subducentes, quæ potatoribus quibusdam in usu fuerunt, & hinc etiam nomen Sauff-Pillen acceperunt; Ad primam & secundam classem spectant oleum olivarum & amygdalarum, ab Ettmüllero laudatum, de quo Nic. Piso Lib. 1. de curat. morb. cap. 6. statuit, quod præmissa ejus assumtione integrum vini dolium, sine ebrietatis periculo possit exhauriri. Ad secundam classem, olivæ sale conditæ à Dominico Leoni lucensi sect. 1. Lib. 1. cap. 20. commendatæ nec non amygdalæ amaræ. Ad tertiam classem brassica muria condita vel cruda vel cocta principio mensæ apposita. Ad quartam classem infusum fol. Theæ vino mox largiter

gi̇ter ſuperbibitum. Ad quintam claſſem amethiſtus geſtatus. Sed hæc omnia fallacia, partim etiam planè vana ſunt, quare optimum & Chriſtianum maximè decens remedium eſt, abſtinentia à nimià horum potuum aſſumtione.

§. XLIV.

Tandem etiam non deſunt, qui ebrioſitatem ſive perverſum & habitualem appetitum totos dies potandi & potulentis ſpirituoſis ſe ingurgitandi, remediis phyſicis curare conantur: Equorum numero inprimis adducimus Phil. Sachſium in ampelograph. ſect. VI. memb. 2. cap. 2. de vini abuſu p. 214. ita loquentem: Rana viridis, anguilla in vino ſuffocata, lachryma vitis, ova noctuæ, aqua fontis clitorii, uva marina, & rad. atb. amavil. virtutem habent inebriationem conſuetam & habitualem extinguendi. Franciſcus Saxius de ſalubr. potu. cap. 20. pag. 215. idem aſſerit de mullo in vino necato ALBERTUS MAGNUS Lib. 22. de animal. virtutem hanc prædicat de ſtercore leonis in vino aſſumto A. Capivacc. vero. Libr .3. de aff. ventric. cap. 8. de ſiti, ad hoc efficiendum laudatur, lacerta viva vel teſtudo lacuſtris, vel ſemina caulium, patiente inſcio, in vinum immiſſa, ut de ipſo hauriat. Alii ebrioſitatem curare volunt per ita dictam mortificationem ſive potum ex vaſe intra brachium mortui cujusdam per aliquot horas collocato vid. Eph. N. C. D. III. An. I. obſerv. 15. An vero hæcce remedia effectum deſideratum præſtent, aliorum experientiis relinquam. Hoc ſolum addo, quod vitium morale rectius & tutius remedio morali quam phyſico curetur; quare ejusmodi perditis potatoribus labores indefeſſos & aſſiduas ad DEUM preces præomnibus aliis remediis commendo.

Daß Du gelehrter Freund! die Pindus-
Höh bestritten,
Leg'st Du anheut gewiß ein nette Probe dar,
Wie niemahls Deinem Fleiß und Deinen
guten Sitten,
Auf einig Art und Weiß etwas unmöglich
war.
Drum auf, auf Musen-Schaar! Laßt euch
frolockend hören,
Und rufft Glück eurem Freund der euch
aufs höchste liebt.
Ja rufft anheute Glück zu den erlangten Ehren,
Die Ihm, weil Ers verdient, der Höchste
jetzo gibt.
Indessen wünsch ich dir viel Glück und Wohl-
ergehen,
Der Höchste gebe Dir, was Du begerst
von Ihm;
Er laß Dein Stamm und Dich noch viele
Jahre stehen,
Der ich indeß mich nen' und stets Dein Freunde
bin.

Diese schlechte Zeilen wolte seinem wehrt-
sten Herrn Vetter zum städigen An-
dencken beysetzen.
Dessen gehorsambster
J. W. E. Ph. St.

Heu

HEu mihi! quam fœda eſt hominum quam noxia genti
Ebrietas varii triſtis origo mali.
Sed magis illa nocet, mentem quæ vexat agitque
Ebrietas ſummi triſtis origo mali.
Ebrius eſt quisquis faſtu ſublimis inani
Se putat eſſe aliquid cætera cuncta nihil.
Ebrius eſt quisquis fortuna opibusque Superbus
Se dignum Gazis judicat, haud alios.
Ebrius eſt quisquis putidis affixus & hærens
Deliciis, ſummum nescit amare bonum
Ebrius eſt quisquis terras cœlosque metiri
Suſtinet audacter, turgidas arte ſua.
Ebrius haud animo es Becki dum corpora tractas
Ebria, dum cauſas ebrietatis habes.
Mens tua ſanantis ſana eſt in corpore ſano,
Sic *Medicum*, Chriſto ſic decet eſſe ſacrum.
Ebria corda Deus, Tu corpora languida ſanas
Hinc laurum meritis cedet Apollo Tuis.

Sic in ſinceram amicitiæ teſſeram Doctiſſimo Autori hujus Diſſertat: ſuaviſſimo ſuo Amico, cum omnigenæ felicitatis voto applaudere voluit.
J. G. van Rom. St. Th. Cult.

Wer so wie **du gelehrter Freund!**
Erfahrung, Kunst und Glück vereindt,
Dem steht mit recht der **Ruhm** zur Seiten,
Ich wund're drum mich nicht so sehr,
Daß man **Dich** heut mit solcher **Ehr**/
Zu **Hygens Tempel** sieht begleiten.

Seh't dieses ist der schöne Lohn,
Den man mit **Ehre** trägt davon,
Wann man mit muntrem **Fleisse** wachet.
Du zieh'st hier aller Aug auf **Dich**,
Da **jederman** zum voraus sich,
Von **Dir** die gröste Hoffnung machet.

O! thäten **Dich die Deinen seh'n**/
Hier in dem **Glantz** und **Purpur** steh'n,
Sie liessen **Freuden**-Thränen fallen.
Doch wird schon dort, ich zweiffele nicht,
Noch eh' **Du** kommest, das Gerücht,
Von **Dein'm** erlangten **Ruhm** erschallen.

Der **Himmel** steh' **Dir** ferner bey,
Und seegne **Deine Artzeney**/
Die **Du** den Schwachen wirst verschreiben,
So wird **Dein** schon erlangter **Ruhm**/
Zu **Deinem** stethen Eigenthum,
Auf **Kind** und **Kindes-Kinder** bleiben.

Diese wenige Zeilen wolte dem Herrn Doctorando seine Ergebenheit an Tag zu legen beyfügen.

J. H. N.
S. S. Theol. Stud.